

D F N

1604



00
17
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA XX.
DE XXIII, ET XXIV

Capitibus Geneseos, ad privatam
συζήτησιν proposita.

De qua
D. O. M. A.
Præfide

SALOMONE GESNERO, S.S.
THEOLOGICÆ DOCTORE ET PRO-
fessore publico, in Academia
Vitebergensi.

Die .14 Martij, Anno 1599. respondebit

M. IOHANNES VLRICVS
Torgensis.



VV I T E B E R G A E

Imprimebatur Typis Meißnerianis,
M. D. XCIX.



REVERENDO ATQVE
CLARISSIMO THEOLOGO

Dn. Doctōri POLYCARPO LEYSERO,
Illustriſſimorum Ducum Saxoniae, &c.

Concionatori aulico, promotori
meo ſummè colendo.

Itemque

*Ampliſſimo viro Dn. DAVIDI SCHIRERO
Illuſtriſſimi Proelectoris Saxoniae Secretario,
fautori meo multis nominibus
ſuſpiciendo*

*Hæc themata Biblica
offero dicoq;*

M. Iohannes Vlricus, Torgensis
Respondens.

*Impriſſum in Typoſophæa
M. D. XCIX.*

Ex Capite XXIII. Geneleos,

Thesis I.

QUVM SALOMON DICAT TEMPVS *Eccles: 3.*
esse plorandi & tempus ridendi: meritò cum A-
brahamo lugente ingredimur tabernaculum Saræ
& speluncam Hebronis, ubi ille Coniugē deflevit
& sepelivit, ut vigesimum tertium caput Gene-
leos ostendit, & vicissim quoq; , ut in capite vigesimo quarto
traditur, cum Isaaco in idem Saræ tabernaculum nuptias ibi-
dem celebrante intramus. Siquidem gaudendum est cum gau-
dentibus & plorandum cum plorantibus Rom. 12.

II.

Præmittitur luctus capite 23. Geneleos, cuius præcipua
συζητήματα ordine & breviter priore loco tractabimus.

Prima questio, de ætate & morte Saræ.

III.

Et principio quidem cum à Moise ætas Saræ percensetur,
quod vixerit annos centum, annos viginti, & deniq; annos
septem, in Hebræo textu dicitur, has esse vitas Saræ.

IV.

Ac tametsi alioquin etiam in hac loquendi forma pluralis *Vitæ in plu-
rali nuncu-
patæ.*
numerus pro singulari frequenter usurpatur, non tamen ineptè
censent illi, qui varias fortunæ vices, quæ pijs in ista mortali
vita contingunt, eâ denotari existimant. Tanta enim fortu-
narum & rerum in vita est diversitas, ut non unam & eandem
sed multas quisq; vitas vivere videatur.

V.

Eandemq; etiam ob causam dubium non est, Spiritum san-
ctum ter repetere annorum appellationem, sicut etiam infra
in exprimenda Abrahami ætate Gen: 29, 7.

VI.

Quod autem Rabini encomium pudicitæ & pulchritudi-
nis Saræ in ista ejusdem vocis *ἀνναφορᾶ* scrutantur, nimis sub-
tile est, & inductione similium exemplorum refellitur.

VII.

A 2

Negare

Negare tamen non possumus, hanc matronam nobis sigillatim à Deo commendari, cum Patriarcharum quidem ante & post diluvium ætates accuratè numeratas habeamus, nullius autem præter hanc foeminae (ac ne Evæ quidem) annos, quibus integra ejus vita constiterit, consignatos inveniamus, 1. Pet. 3, 6.

VIII.

Sarah 37. annos Isaacum informavit. Colligimus etiam ex anno mortis, quam illa filium Isaacum fovert & instituerit. Quandoquidem enim nonagenaria illum peperit Gen: 17, 17. idcirco annos 37. sua illum institutione informavit. Augustin. lib. 16, de civit. Dei. cap. 32.

IX.

Istud deniq; etiam calculus suppeditat, Saram biennium post mortem Tharæ patris Abrahami supervixisse. Fuit enim ille annorum 70. cum Abrahamum genuit. Gen: 11, 32. Et in universum complevit annos 205.

X.

Cum proinde Abrahamus anno ætatis 135. patrem Tharam deplorasset, jam anno 137. obitus charissimæ conjugis alium illi luctum inducit.

XI.

Mortua verò est Sarah in agro Hebronis, quæ antiquitus Kiriath Arbeh fuit nuncupata.

XII.

Kiriath arbeh seu Hebron. Si vocem spectes, Kiriath Arbeh, τετραπολις est, & Hieronym. quidem inde dictam censet, quod quatuor Patriarchæ Adamus, Abrahamus, Isaacus, Iacobus ibi sepulti sint. De cæteris quidem constat, de Adamo nihil, & vetus habet opinio, ut proximè ex Augustino indicatum, eum in monte Calvariæ humatum fuisse.

XIII.

Rabini à quatuor gigantibus Enak, Sifai, Ahiman, & Thalmi Ios. 15, 13. 14. ibidem, illorum sententia, sepultis loco vocabulum impositum comminiscuntur, quod frivolum est.

XIV.

Sed Ios. cap. 14, 15. perspicuè scriptum est, nomen urbi inditum ab Arbah homine magno, qui sive virtute sive statura aut etiam facinoribus eximius fuerit, eam proculdubio vel condidit, vel ditone tenuit. Hic

XV.

Hic itaq; Saram suam Patriarcha terræ mandavit, ubi alij postea patres & matres appositi fuerunt, quos cum Christo resurrexisset Lutherus ἐν ὄψει existimat: Matth. 27, 52.

Patriarchæ
& matricum
cum
Christo re-
suscitate.

XVI.

Quod Moises ait venisse Abrahamum, ut deploraret mortuum suum, ex eo Lutherus & alij non absurdè colligunt, illum moriente Sarah peregrè, fortè in Gerar, aut alibi abfuisse, & reducem in luctum insperatum hunc incidisse.

XVII.

Placet tamen alijs simpliciter sic exponi, quod Abrahamus è suo tabernaculo in illud, quod Saræ erat, Genes. 24, 67. ingressus fuerit.

Questio secunda de luctu super defuncta Sarah.

XVIII.

Fuisse populos, qui ortus hominum lugerent, obitusq; celebrarent, & inde in Ecclesiam quoq; traductum esse morem, ut natales defunctorum oblivioni traderentur, obitus verò dies celebri solennitate quotannis renovarentur, tradit Ambr. in Or: de fide resurr: & Bas: in Barlaam Martyrem ait, in veteri quidem testamento mortuos fuisse deploratos, nunc autè tripudijs divinitus inspiratis choreas super sepulchra piorum duci, Concilium deniq; Toletanum mandat, ut Episcopi omnibus Christianis prohibeant defunctos deflere. Decret. part 2. caus: 13. q. 2. cap. 28.

Mortuos
non esse lu-
gendos qui
dicant.

XIX.

Neque dubitarunt ejus Synodi patres statuere Christum Ioh. 11. non ob Lazari obitum, sed ob ejusdem in vitam reditum ingemuisse, quod ad stuporem absurdum est.

XX.

Sed Apostoli quoq; sententia 1. Thes: 4. qua ijdem stolidè abutuntur, non simpliciter luctum vetat, verum ejusmodi insanam lamentationem, qua infideles sese macerant.

XXI.

Et quod ad Christianam ἐν ταῖς ἀδελφίαις, φιλοσοφίαν

A 3 &



Quare mor- & ὕψιστον defunctorum deploratio "pertineat, testimonia" &
tui sint de- exempla tam novi quam veteris Testamenti abundè docent,
plorandi. Syrac: 38, 16. 17. & 22, 10. Eccles. 3, 4. & 7. 3. 4. Gen. 50. Ioh.
11. 35. Act. 8, 2. & 9, 39. Rom. 12, 15. Matth. 11, 17.

XXII.

*Causa luctus
theologica.* Causæ ad decentem luctum nos compellentes sunt præci-
puè tres. Theologica, quod peccati vis, & Diaboli ac mortis
potentia in miserum genus humanum merito deploratur. Rom.
5, 12. Heb. 2, 14. XXIII.

Physica.

Deinde Physica, de qua Ambros. de obitu Valentini: pa-
scunt, inquit, frequenter lacrymæ & mentem allevant fletus,
refrigerant pectus, & moestum consolantur.

XXIV.

Quod Chrysostomus pulchra similitudine illustrat: sicut
per vehementes imbres mundus & aër purus efficitur: ita &
post lacrymarum pluvias serenitas mentis sequitur atq; tran-
quillitas.

XXV.

Politica.

Etsi proinde iuxta Cyprianum in serm. de mortal: causa
non est, cur fratres nostros accensione Dominica de seculo li-
beratos lugeamus, cum sciamus non eos amitti sed præmitti:
recedentes præcedere, ut proficiscentes & navigantes solent.

XXVI.

*Lyciorum
lex.*

Tertio tamen insuper loco Christiana Charitas, quam pu-
blicè testari debemus, moderatum lachrymarum officium fla-
gitat. Moderatum, inquam, ne, si luctus modum excedat, de
Lyciorum præcepto Christiani viri muliebrem habitum sum-
fisse videantur: Sed memores potius sint, ut deponant mæro-
rem si possunt, includant si non possunt: juxta Ambros. in
Orat. de fide resurr. regulam. Qua de re prolixè Cyrill, lib. 7.
cap. 20. in Iohan.

XXVII.

*Pontificie
superstitio-
nes in defun-
ctorum de-
positione.*

Deplanxiffe & deplorasse charissimæ conjugis suo quasi
de corpore avulsionem Patriarcha commemoratur, vigilias,
supplicationes, sacrificia, missificationes, depositiones, iuxta
septendinalia, trigesimalia, oblationes & similes Papisticas
nugas, de quibus rectè Polydorus lib. 6. cap. 4. scribit Pela-
gium P.P. ab Ethnicis illas mutuatum esse, celebrasse, ne ver-
bulo quidem asseritur. Vnde

XXVIII.

Vnde constat illum nequaquam statuisse, animam defunctæ in purgatorium detrusam, aut in limbo patrum conclusam esse; sed rectâ in cœlum commigrasse, Psal. 31, 6. Mar. 16.

Saræ anima non in purgatorio.

Quæstio tertia, de empto agro ad cœmiterium.

XXIX.

Finito luctu Abraham de sepeliendis conjugis exuvijs sollicitus est. Ab Hethæis itaq; Chami nepotibus Gen: 10. 6. 16. Apud quos hospitium habebat, sepulchrum petit hæreditariũ.

XXX.

Etsi enim DEUS Abrahamo in terra Canaan non dedit proprium habitandi fundum, ne latum quidem pedem, ut ait Stephanus Actor. 7, 5. sepulchri tamen locum concessit, nos utiq; docturus, quod hic diversorij & sepulcri locum habeamus, civitatem mansuram non habeamus. Ebr: 13. 14.

Quomodo Abraham ea in terra sepulchrum emat, ubi nihil habet proprij.

XXXI.

Et pleriq; tres ejus rei causas minimè absurdas commemorant. Principiò enim Abraham unâ cum conjugè & reliquidinceps patres sua corpora in terra Canaan obsidum & pignorum loco esse voluerunt, unde constaret, posteros olim universæ illius fore dominos, in qua majores tumuli locum precio emerint.

Causæ cur Abraham locum sepulcræ in Chanã emerit.

XXXII.

Deinde consolatio hæc posteris erat futura, ut ad tumulos patrum suorum respicientes, non dubitarent se ex Ægypto huc redituros, sicut Jeremias, cum Hierosolyma obsessa esset, & paulò post expugnaretur, prædium nihilominus in Anathoth mercatus est Jerem. 32. Quo cives suos docere voluit, exilium in Babylone non fore perpetuum.

XXXIII.

Deniq; verò placuit pijs patribus ea in regione sepeliri, ubi promissionem æternæ beatitudinis divinitus acceperant, ut resurrectionem mortuorum ibidem se præstolari palàm testarentur, ubi credita ab ipsis fuerat.

Non



XXXIV.

*Pontificio-
rum decre-
ta de sepul-
tura.*

Non igitur ea fuit causa, ob quam sancti illi patres & ma-
tres in Hebrone sepeliri voluerunt, quam jus Canonicum af-
fert, conscientijs legem necessitatis in re libera innectens; hæc
enim sunt Pontificiorum emblemata, quæ illi Hebronis cœmi-
tærium exhalasse autumant, cum infernus evomuerit. Quos
coniunxit unum conjugium, conjūgat sepulchrum, quia una
caro sunt: Quos Deus conjunxit, homo non separet: ubi quis
decimas persolvebat vivus, ibi sepeliatur mortuus: nullus
proprii arbitrij temeritate aliam Ecclesiam, nisi cui usus anti-
quorum parentum Canonica institutione subiacere perhibe-
tur, sepulturæ causa adeat.

XXXV.

*Abraham
non veritus
inter incre-
dulos habi-
tare & se-
peliri.*

Porro quod Abraham abnuvit in sepulchris Chetæorum
Saram condere, causam aliqui adferunt, quod in tumulis in-
fidelium matrem fidelium tumulari non decuerit. Sed eadem
hæc rationes valent, quæ modo sunt indicatæ.

XXXVI.

Nequaquam enim existimandum est sanctum Patriarcham
Papistica superstitione imbutum fuisse, ut inter eos mortuus
jacere piaculo sibi duceret, inter quos vivus habitabat. Nam
ubicunq; sepeliamur, Domini est terra & plenitudo ejus, ut
infert Chrysostr. hom. 26. in cap. 11. Epistolæ ad Hebræos.

XXXVII.

*Spelunca
duplex un-
de nuncu-
pata.*

Speluncam itaq; duplicem cum agro, in quo illa erat, ab
Hebrone filio Socharis Abraham emit. Et speluncam qui-
dem illam geminam, seu Macpelæ, hoc est, duplicitatis Iudæi
existimant inde sic nuncupatam, quod in uno foramine Ada-
mi, in altero Evæ monumentum fuerit. Quasi verò diluvium
non omnia devastarit.

XXXVIII.

Satius est simpliciter illud accipere, juxta Procopij sen-
tentiam, quod duo sint in illo agro colles seu aggeres recessus
duos cavernosos habentes. Idq; in tabulis etiam Chorogra-
phicis sic expressum videmus.

XXXIX.

Emit proinde Abraham locum hæreditario sepulchro, quo
contra-

contractu Anabaptistarum furorem & Papistarum execrabilem hypocrisin condemnavit.

XL.

Nam ut illi rem inter se nullam volunt esse venalem, ita hi nullam quidem alioquin habent non venalem, absolutionem, indulgentias, merita, suffragia, cœlum deniq; ipsum: sepulchralem vero cespitem vendere & emere pro Simoniaco ducunt piaculo, cui expiando nulla lustralis aqua sufficiat. Decret. causa 13. q. 2. cap. 12. Gregor. lib. 7. ep. 55.

*An sepulcrū
emere li-
ceat.*

XLI.

Ideoq; Lyra, ne quis summum Pontificem facto Abrahami offensum fuisse opinetur, ita distingvit, quod Abrahamus agrum emerit, non sepulchrum. Quasi verò non disertè satis hic ipse finis emtionis & contractus formulæ insertus fuerit, ut Abrahā diceret, Date mihi hæreditarium sepulchrum apud vos. Item Hephron det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui, pecunia digna tradat eam mihi coram vobis, in possessionem sepulchri.

XLII.

Nugæ proinde sunt, quod jus Canonicum eodem in loco ex Hieronymo Iudæam fabulam adducit, quasi Hephronis nomen versu 16. ideò scriptum esset absq; Vau litera, quam alioquin id vocabulum habet penultimam, ut scriptura significaret, non eum fuisse consummatæ virtutis, qui memorias mortuorum vendere potuerit, vel, ut Lyra interpretatur, quod ab initio agri donationem largè quidem promiserit, postea verò maiori, quàm par fuerit, precio vendiderit.

*Litera Vau
de nomine
Hephronis
dempta.*

XLIII.

Mox etenim sequente versiculo in eodem nomine Hephronis litera 1 Vau expressè ponitur, hisce in verbis, quæ & ipsa de contractu loquuntur: & cessit ager Hephronis, qui est Macpelæ, duplicis speluncæ, quæ est in conspectu Mamre, &c. Abrahamo in possessionem. Et alioquin Vau vel exprimi vel supprimi potest.

Questio quarta, de sepulta Sara.

XLIV.

B

Sepe-

Sepelivit Patriarcha Saram, non in fluvium abjecit, nec bestijs projecit, nec igne cremavit, ut Ethnici facere sunt soliti. Sic enim DEUS ipse sanxit: Terra es & in terram revertaris, Genes. 3. XLV.

Abraham sepulcrali pompa abstinet. Neq; id magna pompa aut splendido mausolæo, Vt epulo ille Luc. 16. Omnia enim ista, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompæ exequiarum magis sunt viventium solatia, quàm mortuorum subsidia, teste August. lib. 1. de civit. DEI, cap. 12. XLVI.

Agrum non prius Abraham consecrat. Multò minùs agrum Mamre prius lustrali aqua consecravit, alicui Divorum sacellum in eo dedicavit, anniversaria sacrificia instituit, quod Pontificij Ethnica superstitione dementati consueverunt. XLVII.

Scit enim tumulos fidelium eo ipso sanctificari, cum spiritus sancti templa in ijs sequestrantur, ut Prudentius loquitur, & cum frumentum Dei illic conditur, 1. Cor: 15.

XLVIII.

Moneta susa. Monetæ cusæ inventionem Herodotus equidem Lydis tribuit, Iosephus ad Cainum refert: per antiquam & Abrahami temporibus usitatam fuisse signatam pecuniam inde liquet, quo Abrahamus Hephroni quadringentos siclos argenti, quale in contractibus mercatorum publicè valebat, annumeravit seu appendit. XLIX.

Quod Contractus iste, præsentibus Hephronis civibus, Chettæis, peragitur, certitudinis & testimoniij causa fit. Virum ijdem illi Chettæi exequijs Saræ operam quoq; dederint, inde non satis certò colligitur, quod equidem Lyra existimat.

EX CAPITE XXIV.

Geneseos,

Thesis I.



VM Isaac virilem ætatem attigisset, pater ipsi de honesta conjuge prospiciens, Oeconomum suum in Mæopotamiam mittit, qui Rebeccam inde adducit, quæ fit Isaaci vxor.

II.

Pro-

Prolixa hujus capituli narratio tribus membris continetur. Principio enim commemorat Moses servi ablegationem, Deinde ejusdem profectioem & negotij confectioem, Denique reditum & nuptias. Nos ea saltem quæ scrupulum aliquem habere videntur, expendemus. III.

Quomodo servum Abrahamus amandaverit, vers. 1. 23. 4. 5. 6. 7. 8. 9. commemoratur, ubi primo occurrit temporis circumstantia. Factum hoc esse perhibet Moses cum Abraham esset senex, & profectæ ætatis. Nam Isaacus Rebeccam duxit uxorem anno ætatis 40. Gen. 25, 20. Vnde constat Abrahamum eo tempore, quo servum ad quærendam filio sponsam dimisit habuisse annos CXL. IV.

Deinde conditio Abrahami florentissima exprimitur, quæ divina benedictione & largitione bonorum spiritualium & corporalium constat. V.

Porrò minister quæ Abraham in concilianda filio sponsa adhibet, præfectus est familiæ, de quo itidem supra c. 15. 2. dictum. VI.

Iuramento autem illum Patriarcha astringit, ubi duo potissimum consideranda sunt, juramenti videlicet sententia & ejusdem ceremonia.

Questio prima, de sententia iuramenti.

VII.

Sententia est tum in negando, tum in affirmando. Negatio ista, ne filio suo Isaac ille de Cananæis uxorem accipiat. Cujus prohibitionis causa non est lex de vitandis Cananæorum connubijs. Exod. 34, 12. 13. 16. Quia nondum lata erat, & quia Abraham ipse Cheturam, Gen. 25. & Agaren de Idolatricis populis ortas sibi matrimonio iunxit. Nec credibile, nullam in ea gente familiam veræ religioni, de qua tamdiu isthic concinatus fuerat Abraham, addictum fuisse. *Cur Abraham non velit Isaac Chananeam matrimonio iungere.*

VIII.

Respicit autem sollicitus pater partim ad vaticinium de exitio Cananæorum Gen. 15, 16. & 9, 25. &c. partim ad promissionem Seminis benedicti ex Isaac nascituri Gen. 17, 19. 21. & 21, 12. Qua prærogativa & nobilitate impiæ gentes exitioq; sua ob scelera devotæ prorsus erant indignæ. *Chananeis exitio ad iudicati.*

IX.

Mandatum porrò vult, ut de familia suæ gentis, de qua cap. 22, 20. certior factus erat, Isaac conjugem quærat.

X.

*Jurandum
per verum
Deum.*

Forma juramenti ea est, ut servus conceptis verbis non per Idolum aliquod, aut defunctum patriarcham, quod pontificijs in usu est, sanctam Mariam & alios sanctos in iureiurando invocare: sed per Iehovam DEUM coeli & terræ fidei hero suo adstringat.

XI.

Qui enim juravit, per quos non debuit, & contra promissam fidem fecit, bis utique peccavit, ut ait Augustin: ep. 154.

XII.

Per DEUM autem jurare, est, DEUM testem invocare, Idem, Serm: 28. de verb. Apost.

Questio secunda, an liceat jurare.

XIII.

Iuramentum proinde legitimè deferre & inunctum aut alioquin necessitate exigente requisitum non modò licet, sed etiam ut cultum DEO placentem, decet præstare. Exod. 23, 13. Deut. 6, 13. August. in Epistola Gal. cap. 1.

XIIII.

*Qui prohibuerunt
iurare.*

Perperam igitur olim Essæi, ut refert Ioseph. lib. 2 bell. Iudaici cap. 7. jusjurandum damnarunt, malè item multi martyres, qui circa annum Domini 200. iuramentum à magistratu impositum recusarunt, dictitantes non licere Christianis ullo modo jurare, nec piè Manichæi ideò vetus testamentum rejecerunt, quòd juramenta in illo concessa sunt, & impiè Anabaptistæ, parumq; consideratè Chrysostomus hom: 9. & 10. in quartū Act. sententias, quæ vel de impijs juramentis vel de perjurijs, vel de levitate jurandi loquuntur Matth. 5, 33. 34. Iacobi 5, 12. Syracid. 23. eò detorquent, quasi omne jusjurandum simpliciter prohibitum esset. Prohibemur enim jurare cupiditate aut delectatione jurandi, Non enim jurare, sed perjerare peccatum est. August. ep. 154.

Questio tertia, de ceremonia juramenti.

XV.

Cere-



Ceremonia deniq; ejusmodi est, quod Eleazarus manum *Iurantes*
femori Abrahami submittit, quam veteribus usitatam fuisse ex *manum fe-*
hac narratione & simili Gen. 47,29. perspicuum est, eamque *mori sub-*
apud Indos & Æthiopas adhuc retineri perhibent. *sternunt*

XVI.

In pactis alios etiam fuisse ritus in usu caput 21. Gen. do- *Indi & Æ-*
cuit vers. 24. 32. 33. *thiopes.*

XVII.

Causam habuit illa consuetudo tum communem, quod mi-
nistris & filijs hoc erat subjectionis symbolum, tum Abraha-
mo propriam, quod ea parte corporis sacramentum foederis *Causa istig*
impressum, & inprimis quod è semine Abrahami Messias pro- *ceremoniæ*
diturus rectè credebatur. Vide Hieron. in quæst. & August. *tres.*
quæst. 62. Theodoretum quæst. 73. Chrysoft. hom. 48. Pro-
copium, Alcuinum quæst. 210.

XVIII.

Graviter scribit Theodoretus: Cum Abraham in semine,
tum benedictionem, tum promissionem honorum suscepisset,
illic servum apponere manum iussit, ubi fidei signum accepe-
rat, ut & promissionis divinæ & circumcisionis memor, ma-
trimonio cum alienigena contracto τὴν δεσποτικὴν εὐγένειαν, id
est, Dominicæ nativitatis nobilitatem non contaminaret.

*Questio quarta, de pijs Christianorum
iurantium ritibus.*

XIX.

Cum itaq; Abrahamus in tabulis carnis suæ Christum ve-
lut depictum & expressum devotionis & reverentiæ gratiã
servo juranti proposuerit, absq; Idololatriæ & superstitionis
crimine, Christianis utiq; ad exaggerandam juramenti gravi-
tatem & religionem seelennes ritus citra superstitionis culpam
adhibere licet, modo animi iurantium omni prophana opinio-
ne purgati externas illas solennitates pro adiaphoris habeant.

XX.

Quod enim Christiani olim in templis tacto sancti alicujus
martyris sepulchro jurare sint soliti, è lib. 5. Greg: epist. 33.
patet. quodq; manum alteri imposuerint Gregorius Turonen-
sis lib. 5. hist. cap. 3. & 32. annotavit.

B 3

Quem-

XXI.

Quemadmodum etiam Sozomenus lib. 6. hist. Eccl. cap. 30. in histor. Evagrii commemorat, eo tempore circa annum Christi 365. moris fuisse, ut jurantes Evangeliorum libro manum imponerent, quod ipsum postea Imperatoris Legibus sancitum in nostram usq; ætatem perduravit. Sed & hoc adia-phoris meritò accensetur.

XXII.

In papatu ea ceremonia postea in Superstitionem conversa est, ut per Evangelium jurarent & tali juramento per Evangelia præstito parem vel etiam maiorem auctoritatem assignarent, quam illi, quod in nomine Dei præstitum esset.

XXIII.

Quam opinionem graviter obiurgat Chrysostronus in Matth. hom. 44. Modicum videtur facere, qui jurat per Deum; qui autem jurat per Evangelium, majus aliquid fecisse videtur. Quibus similiter dicendum est: Stulti scripturæ sacræ propter Deum sunt, non Deus propter scripturas.

*Questio quinta, de qualitate & sub-
iecto juramenti.*

XXIV.

Porro quia in dolo jurat, qui aliter quam facturus est promittit, ut ait August. & Cassiodorus in Psal. 32. Et quia insuper, qui ad jurandum proclivis est, peccato non caret. Syrac. 23. Ideo prudenter facit servus heri sui animum penitus explorans. Anne filium in Mesopotamiam deducere debeat, si fœmina inde in Cananæam sequi recuset, antequam jurejurando se obliget. Homines enim falsum jurant, vel cum fallunt, vel cum falluntur, ut ait August. serm. 28. de verb. Apostoli. Vide Lombardum lib. 3. distinct. 39. & in Decret. caus. 22. quæst. 2. cap. 3. 4. & quæst. 4. cap. 5. 6. 7. 14.

XXV.

Neq; quisquam juramento ad ea adigi debet, quæ præstare nequit. Sicut Papa impijs votis, juramentis & hominibus suis satellites sedi pontificiæ devincit.

XXVI.

Has

Has ob causas Abraham dubitationem istam seruo exi-
mens, ostendit, DEUM & velle & posse eum virgini animum
inspirare, ut desertis parentibus maritum sequatur. Primum
inquit si Dominus meos in Mesopotamiam redire vellet, non
me inde in exilium huc olim eduxisset, vers. 5. & 7.

XXVII.

Deinde cum semini meo, inquit, hæc terra, non illa in Char-
ran divinitus promissa sit Gen. 13, v. 14. 15. & ita quidem, ut
nunc in ea peregrinemur, suo tempore post quatuor hominum
ætates eandem possessuri Gen. 15, 13. Dubium non est, Domi-
num effecturum, ut mulier huc spontè proficiscatur.

XXVIII.

Modum deniq; quo Dominus idipsum effecturus sit, pro-
pheticè exponit, quod misso videlicet Angelo suo, quem esse
Christum jam aliquoties cap. 18. & 22. demonstratum est, &
qui in hoc capite v. 27. 48. Iehovah nuncupatur, Conjugium
sit procuraturus.

XXIX.

His rationibus confirmatus de eventu minimè dubitat, ser-
vi tamen imbecillitati succurrens, ista adijcit: Si voluerit
mulier illa te sequi, insons eris ab adjuratione hac mea.

Quæstio sexta, de consensu Isaaci & Rebecca.

XXX.

Hactenus παρασκευῆ ad iter servi in Mesopotamiam confi-
derata est, sequitur ipsa profectio & negocij confectio. Ea ve-
rò quatuor locorum circumstantijs describitur,

XXXI.

Principiò domi decem Camelos accipit, quos necessario
eommeatu & rebus pretiosis onerat, vt sponsæ arrham νοὶ τῆ
παράφρα, parentibus ac consanguineis munera offerat, v. 53.

XXXII.

Falluntur Rabini, qui existimant servum omnes heri sui
facultates in tabula consignatas secum deportasse; Non enim
opibus sed pietate filio uxorem quæsit. Et ista verba (ut qui
omnes opes Domini sui habebat in manu sua,) conditionem
servi, non itineris sarcinas denotant.

XXXIII.

Duo

Rationes
quibus A-
bram per
suasus certò
statuit Re-
beccam Ele-
azarum se-
cuturam.

Decem ca-
meli quor-
um attri-
buti.

Duo verò hîc occurrunt dubia. Vnum est, an Isaacus item-
que Rebecca liberè & cum iudicio consentire potuerint in
personam non visam, nec ullo modo cognitam; & an non re-
ctius à parente factum fuisset, si filium seruo adunxisset, sicut
Isaac non servum sed ipsum Iacobum dimittit. Genes. 28, 1. 2.
Alterum verò, quorsum eiusmodi pompa decem Camelorum?
XXXIV.

Ad primum autem respondetur, quod Isaacus nec non Re-
becca divinæ & paternæ voluntati se plenè libenterq; & spon-
tè submiserint, cum non ex oculorum & carnis desiderio, sed
è pietate & virtute sponsam ille, ista sponsum æstimaverit, &
insuper divino hæc ònia nutu geri persuasum uterq; ha buerit.
XXXV.

*Absentes
etiam pos-
sunt consen-
tire in ma-
trimonium.*

Neque Isaacus de virtute Rebeckæ dubitare potuit, cum
eiusmodi fidelem haberet pronubum, Eleazarum, adeoque
ipsum D B U M.
XXXVI.

Vnde apparet, matrimonium etiam inter absentes per cu-
ratores specialibus mandatis instructos, aut per literas legiti-
mè contrahi.
XXXVII.

Camelos autem Abraham non inanis pompæ, sed longissi-
mi itineris & ferendæ supellectilis gratia seruo tradidit, Neq;
enim nudam parentes dimiserunt, cui nutricem & ancillas ad-
diderunt, vers. 61.
XXXVIII.

*Eleazarus
non uno die
consecit
iter.*

Secunda, deinde circumstantia est, quæ & quam longo
temporis intervallo iter confectum sit: quorum neutrum in
textu exprimitur. Ridiculum autem est, quod Rabini miracu-
lum comminiscuntur, quasi eodem die iter & inchoatum & fi-
nitum esset. Rectius Ioseph. lib. 1. antiq. cap. 16. sentit: Fa-
mulum diuturnum iter fecisse, eò quod difficilis esset transitus
per Mesopotamiam hyeme propter cœni altitudinem, & state
ob æquarū inopiam, adhæc propter latrocinia, quæ vitari nisi
à cautis non poterant.
XXXIX.

*Harane quæ
procul distet
ab Hebro-
ne.*

Nam Harane civitas est ab Hebrone ad 116. miliaria versus
ortum aquilonarem distans, ita, ut Iudæa, Galilæa, Phœnicia,
Cœlesyria & Syriæ pars adeunda, tandemq; Euphrates trañ-
ciendus illi fuerit, ut in tabulis videre est.
XL.

Regio.

XL.

Regionem illam vocat Moses Aramæam vel Syriam duo- *Mesopota-*
rum fluviorum. Sita enim est inter nobilissima duo flumina, *mia.*
Euphratem Babylone & Tygrin Ninive vrbibus celebrem, un-
de *μεσοποταμία* & interamnis seu interamnina nominatur.
Vide Plin. lib. 5. cap. 12. Et Pomp. lib. 1. cap. 11.

*Questio septima, an Eleazarus petitione signi
certam personam Deo præscribat?*

XLI.

Tertia *περίστασις* dicta & gesta ad fontem complectitur ab
11. vers. usq; ad 27. In qua parte tria potissimum consideratio-
ne digna sunt.

XLII.

Quæritur enim primò an non famulus iste personam DEO
præscribat certo illâ ipsam signo notans, quam hero suo spon-
sam quærebat, & porro an ne ex diffidentia signum flagitet, ut
Iudæi Matth. 12, ac deniq; cur ejusmodi signum, non aliud.

XLIII.

Ad hæc ita brevissimè: nequaquam ille personam certam *Eleazarus*
Deo nominat, sed illam, quam DEUS Domino suo Isaaco con- *indicium*
jugem legerat & decreverat, sibi indicio aliquo monstrari ro- *sponse Isaa-*
gat. Si enim in certo individuo hæreret, non utiq; è pluribus *ci à Deo*
unam hac nota divinitus sibi ostendi vellet. *petit.*

XLIV.

Neque tentat DEUM signum incredulitati postulando, sed
fidei suæ potius augmentum è fructu eventusq; submissè rogan-
do, sicut Moses Exo. 4. Gedeon Jud. 6. 17. Jonathan 1. Sam. 14.

*Questio octava, de notis ἑτερομνησίαις
bonæ conjugis.*

XLV.

Signum verò adhibet præsentī negotio convenientissimū.

XLVI.

Quod enim sponsam heri sui inter eas requirit puellas, quæ
cives erant in urbe Nachoris, juramento ejus consentaneum
est: quod inter *ἑτερομνησίαις*, ea nota *ὀικετόν* designat: quod non
C vult

Nota bona coniugis. vult ab illa alloquio præveniri, procacitati & curiositati oppositum est: quod potum sibi petenti ab ea desiderat porrigi, hospitalitatis & comitatis: quod aquam Camelis ultrò offerri, promptitudinis & alacritatis erat. Tales enim vult Paulus esse virgines animo & corpore sanctas 1. Corinth. 7.

XLVII.

Rebecca Hospitalitas & Castitas.

Vnde Procopius; tam hospitalitas quàm castitas in illa emicant. Castitatis erat, quod non accurrebat, & virum prior compellabat: Hospitalitatis, quod tanto studio & alacritate hauriebat aquam, ut gratificetur hospiti. Nec castitati hospitalitas, nec hospitalitati castitas obstitit. Sedulitas illa digna fuit domo Abrahami.

Questio nona, an officia, quæ Rebecca Eleazaro prestitit, libera voluntatis fuerint?

XLVIII.

Rebecca et sponte potè præbet seruo, & nihilominus à spiritu sancto agitur. Quæritur secundò, an istud puellæ officium à libero arbitrio sit profectum, an potius ex arcano Dei impulsu? Vtrumque autem affirmare nihil habet incommodi. Vera enim est de renatis Ambrosij sententia lib, 1. de vocat. gent. c. 3. Nec quia homo spiritu Dei agitur, ideò se putet liberum arbitrium non habere: quod ne tunc quidem (scilicet in rebus externis & civilibus) perdidit, quando Diaboli voluntati se dedit: à quo iudicium voluntatis (in ijs nimirum quæ hominis arbitrio sunt subdita) depravatum est, non ablatum. Quod igitur interfectum non est per vulnerantem, non tollitur per medentem. Vulnus sanatur, non natura removetur.

Questio decima, de mundo muliebri.

XLIX.

Rebeccam accipere monilia non dedecet. Tertiò de monili & armillis Rebecca à seruo datis videntum est. Sunt enim, qui muliebrem hunc apparatus sententiæ Petrinæ 1. Pet. 3, 3: & Paulinæ 1. Timoth. 2, 6. prorsus adversari, & mulieres omni mundo auri argentiq; & gemmarum exuendas esse contendunt.

L.

Cum autem torques, armillæ, inaures, & similia mulierum ornamenta inter dona Dei referantur Ezech. 16, 12, 13. Osee 2, 8, 13.

8, 13. Esaiæ 3, 18 : ideò prohibitiones Apostolicæ non simpli- *Ornamenta*
citer, sed cum determinatione sunt accipiendæ, si nimirum fœ- *mulieribus*
minæ supra sortem & conditionem suam sumtuoso habitu se *non simpli-*
efferant, deq; interni animi cultu nihil sollicitæ, externa se ve- *citer sicut*
stium pompa & πολυτελεῖ φαντασίᾳ jactitent. *prohibita.*

L I.

Quare ut non dedecuit Eleazarum hæc munuscula Rebeccæ
dare, ita nihil illa præter virginalem honestatem accipiendo
commisit.

L II.

Verùm hæc de illis, quæ apud fontem extra urbem accide-
runt, sufficient: jam intra mœnia in domo Bethuelis, quæ eve-
nerint, consideratione quoq; digna sunt: illa enim à vers. 28.
usq; ad 61, describuntur.

Questio undecima, de nomine Alma.

L III.

In repetitione proluxa eorum, quæ huc usq; sunt acta, pri-
mò occurrit nomen Alma ver. 42. Cum Eleazarus ait in preci-
bus suis ad DEUM. Ecce ego consisto juxta fontem hunc aquæ: *Alma.*
Si ea virgo (Haalma) quæ egredietur ad hauriendum, &c.

L IIII.

De ea voce scribit rectè Hieron. in quæst. Hebr. quod non
sit generale nomen fœminæi sexus, sed virginem ἀπόκρυφον,
absconditam & illibatam significet: sicut hic de Rebecca &
Exodi 2. 8. de Sorore Mosis accipitur.

L V.

Meritò proinde Esa: 7, 14. de partu immaculatæ virginis
Mariæ eadem appellatio exponitur, quæ de S. sancto æternum
DEI filium concepit. Luc. 1.

L VI.

Ostendant igitur, ut Hieron. verba habent, Iudæi in scri-
pturis alicubi positum Alma, ubi adolescentulam tantum, &
non virginem sonet, & concedemus eis illud quod in Esaia
apud nos dicitur, Ecce virgo concipiet & pariet, non abscon-
ditam virginem, sed adolescentulam significare jam nuptam.

C 2

Deinde

L VII.

Deinde in istis Eleazari verbis vers. 44. ea ipsa ut sit uxor, quam ostendit Dominus filio Domini mei, Hebræa vox הַכִּיָּהִי significat, certis argumentis & signis demonstrare & convincere, Chaldaicus & Græcus interpretes præparandi verbo reddiderunt, sicut etiam supra vers. 14.

Quæstio duodecima, an connubia sint fatalia?

L VIII.

Oritur hinc quæstio, an Dominus cuiq; viro suam uxorem destinare, & cuiq; mulieri virum præparare ac jungere soleat, & an fatalia sint conjugia.

L IX.

Quatenus conjugia sint fatalia. Ad quod distinctione respondetur, Quod nimirum sponsalia & conjugia non ex absoluta & immediata voluntate atq; decreto DEI, sed intervenientibus causis etiam secundis, animorum videlicet libero consensu, & alijs externis adminiculis contrahantur.

L X.

Copulantur certè conjuges hodiè non minus à DEO, quam olim Adam & Eva in paradiso Gen. 2. Matth. 19. Prov. 19.

L XI.

Sed non citra mediorum interventum, qualia sunt, pietas, invocatio DEI, amicorum fidele consilium, Psal. 128. Prov. 19. Tobix 3. & 7.

L XII.

Ideoq; Eleazarus ita quidem in petitione sponsæ divina nititur providentia, ut nihilominus interim parentibus liberum consensum relinquat. Sic enim ait ver. 49. Quamobrem si facitis misericordiam & veritatem cum Domino meo, indicate mihi: sin autem aliud placet, & hoc dicite mihi, ut vadam ad dextram sive ad sinistram.

L XIII.

Quando proinde fatum pro divino sumitur decreto, neq; tamen absoluto, rectè fatalia, id est, legitimis medijs à DEO procurata vocantur conjugia. Quæ-

Questio decima tertia, in quoto gradu consanguinitatis Isaac & Rebecca conjuncti fuerint.

LXIII.

Tertium quod in hac parte se offert vers. 48. habetur, ubi Eleazarus ait, ut acciperem filiam fratris Domini mei pro filio ipsius. Hic enim filiam pro nepte usurpari, clarum est: cum Thare genuerit Abrahamum, Nahorem, & Haranem, Gen. 11; Nahor autem Bethuëlem, & Bethuël Rebeccam Gen. 22, 22. 23.

LXV.

Nupfisse verò Rebeccam Isaaco in gradu consanguinitatis tertio lineæ inæqualis, ut loquimur, perspicuè cernitur: quæ sanè copulatio, nulla nec divina nec humana lege prohibita est, Levit. 18.

Questio decima quarta, an Bathuel adhuc in vivis fuerit?

LXVI.

Quartò interrogant interpretes, cur vers. 50. Laban Bethuëli præponatur in assensu dando? Et Iosephus equidem existimat, Bethuelem Rebeccæ patrem jam fuisse vita functum, istum autem patri cognominem esse filium minorem natu.

*Cur Laban
filius præ-
ponatur pa-
renti Ba-
thueli?*

LXVII.

Cui sententiæ non parum suffragatur, quod tam altum est de patre silentium, & quod infra vers. 60, Rebecca non filia, sed soror nuncupatur, quodq; fratrum fit mentio, vers. 55. ut Græca habet versio, licet perperam.

LXVIII.

Sed nihil præter decorum est, quod Laban, cui tota œconomia commissa fuit, ut apparet vers. 28, 29. &c. pro patre jam senio confecto, & alioquin minùs (proculdubio) deserto verba facit.

LXIX.

Bethuëlem adhuc superfuisse è verbis Rebeccæ v. 23. 24. vixit.

*Bathuel ad-
huc super-*

non

C 3

non ambigè colligitur. Interrogata enim, cujus esset filia, & num in domo patris sui locus excipiendis hospitibus esset, respondet, se Bethuelis esse filiam, ubi procul dubio id significatura fuisset, si pater in humanis esse jam desisset.

LXX.

Et Moses ilicò subijcit ver. 28. Rebeccam habuisse fratrem Labanum, ubi similiter Bethuelis facienda fuisset mentio, si ille frater ejus esset.

Quaestio decima quinta, de sponsalibus clandestinis & publicis.

LXXI.

Illud verò hic imprimis observari debet, legitimum conjugium non esse clandestinam sed publicam, coram parentibus aut amicis factam, unius maris & foeminae desponsationem ac copulationem.

LXXII.

Quae sint publica sponsalia? Publica vocantur sponsalia, non respectu epuli aut solennitatum aliarum, sed ratione consensus & testimonij illorum, qui requirendi sunt.

LXXIII.

Ac de ijs, qui hoc pacto sponsalia celebrarunt, rectè dicitur, quod revera sint conjuges, cum consensus non concubitus faciat matrimonium.

Quae sint clandestina sponsalia?

LXXIIII.

Sponsalia invitis parentibus contracta ut quidem post obitum illorum legitima censentia. Eò; regione clandestina sponsalia, quæ neglecto parentum consensu, contracta sunt, meritò repudiantur & pro nullis habentur.

LXXV.

Sponsalia invitis parentibus contracta ut quidem post obitum illorum legitima censentia.

Ac tametsi parentes durante dissensu mori contingat, valere illa non possunt: locum enim habet regula juris, non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.

Quaestio decima sexta, de Arrha.

LXXVI.

Quintò, cum servus instrumenta seu vasa aurea & argentea nec non vestes preciosas depromat, & Rebeccae tradat, fratrisq; & matri de præstantissimis terræ frugibus munera offerat, ver. 53.

ver. 53. apparet hinc, sponsalia & matrimoniales contractus jam-
tüm pignoribus & arrhis quibusdam confirmatos & exorna-
tos esse.

LXXVII.

Vnde in Ecclesia consuetudo mansit, ut novi conjuges mu-
tua annulorum traditione consensum testarentur. De qua
Ceremonia ita scribit Isidorus lib. 2. de off. cap. 18. Quod in
primis negotijs annulus à sponso sponsæ datur, fit hoc nimi- *N.B.*
rum, vel propter mutux fidei signum, vel propter id magis, ut *Quare an-*
eodem pignore eorum corda jungantur. Vnde & quarto di- *nulus quar-*
gito annulus idem inseritur, quod in eo vena quædã, ut fertur, *to digito in-*
sanguinis ad cor usq; perveniat. Nervum esse tradit Macro- *seratur &*
bius lib. 7. Saturn. cap. 13. ubi ab Ægyptijs sacerdotibus, quos
nuncupent Prophetas, ista perhiberi commemorat: Gell. lib.
10. cap. 10. Polydorus lib. 2. cap. 21.

LXXVIII.

Sextum *περόκλημα* versus 57. suppeditat, ubi Laban & ma-
ter Rebeccæ servo abutum maturanti & dimissionem sollicitè
flagitanti, respondent, vocemus puellam, & interrogemus illã.

LXXIX.

Hinc etenim Ambros. infert, puellæ consensum in despon- *Rebecca*
satione requisitum non fuisse. Consulitur, inquit lib. 1. de *consensus*
Abrahamo ca. 9. puella non de sponsalibus: (illa enim judiciũ *an requis-*
spectant parentum; non enim est virginalis pudoris, eligere *tus.*
maritum,) sed jam desponsata viro, de profectionis consulitur
die.

LXXX.

Quod posterius sane verum est, ut ex ipsa Labanis & ma-
tris interrogatione liquet, visne proficisci cum viro?

LXXXI.

Sed prius eo refellitur, quod Rebecca non abfuit, cum ser-
vus itineris sui causam exponeret, & virginem hero in uxorem
peteret, sed coram astitit, patrisq; & matris promissionem
non modo silentio, sed etiam munerum acceptione compro-
bavit.

LXXXII.

Rebecca versu 59. & 60. soror, non equidẽ Bethuelis & ma-
tris,

tris, sed Labani appellatur. Reliqui autem sanguine iuncti hac voce cognationem & affinitatem denotatam volunt.

*Questio postrema de adducta Rebecca
ad Isaacum.*

LXXXIII.

In ultimo capitis membro, quod commemorat, qua ratione Rebecca ad sponsum venerit & ab eo excepta fuerit, omnia sunt plana. Principio autem quod dicitur Isaacum apud fontem viventis & videntis tunc fuisse, de eo supra Gen. 16, 13. dictum est.

LXXXIV.

Isaac apud fontem sidera contemplari à quibusdam commemoratur, quasi vero sole supra horizontem extante astra conspici possent, aut Isaacus sidera de suis nuptijs, conjugis moribus, liberorum procreatione & fortunis consulisset.

LXXXV.

Melius Chaldaeus interpres & alij tradunt, illum preces fundere & divina oracula apud animum perpendere. Id enim significat verbum חַוֵּ , quod est tacite apud animum aliquid cogitare & meditari.

LXXXVI.

Rebecca, viso Isaaco, reverentiae causa à camelo descendit, & faciem peplo obtexit. Nam & Paulus vult foeminas caput velare propter angelos 2. Cor. 11. 11. & Tertullianus de velandis virginibus peculiariter commentatus est.

LXXXVII.

Peplum Hieronymus theristrum vertit, & ait, genus esse pallij, quo suo etiamnum tempore mulieres per Arabiam sint usae.

LXXXVIII.

Quod deniq; Isaac Rebeccam in tentorium matris introducit, ea phrasi legitimae nuptiae & conjugalis cohabitatio ac oeconomia ab Abrahami rebus suo modo distincta indicatur.

LAVS DEO.

AB

52

9
549

ULB Halle 3
003 140 237




sb.

Wort







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1E

ATIO BIBLICA XX.
III, ET XXIV


Geneleos, ad privatam
προβλητικῶν προposita.

De qua
O. M. A.
Præfide

ONE GESNERO, S.S.
Æ DOCTORE ET PRO-
e publico, in Academia
Vitebergensi.

Martij, Anno 1599. respondebit

ANNES VLRICVS
Torgensis.



VITEBERGAE

abatur Typis Meißnerianis,
M. D. XCIX.

